

aquæ ita inferiores sunt ipsa terra, quod sint opertæ, et occultæ sub terra, sed immediate patent ipsi aeri, sicut in mari videmus. Unde ex aquis deorsum potuerunt produci pisces, et sursum elevari aves; et multo magis si aves factæ sunt non ex ipsa aqua maris in se, sed ex aqua vaporabili, et ex aere ingrossato vaporibus. Dicuntur autem aves produci super terram sub firmamento cœli ut insinuetur quod aves utroque elemento indigent, et utuntur, terra ad quiescendum, aere ad volandum; in terra dormiunt, nidificant, multiplicantur, manducant; in aere volant, moventur.

VII. Secundam ergo et tertiam sententiam jungimus, dicimusque materiam proximam ex qua ortæ sunt aves, et pisces esse aquam, nomine aquæ intelligendo etiam vaporabilem aquam, ipsumque aërem ingrossatum vaporibus, ut S. Thomas dicit hic ad tertium. Et hoc congruenter, quia pisces sunt crassiores, et substantiæ magis aqueæ. Aves vero subtilioris substantiæ sunt, et humidum habent magis aereum quam aqueum. Quod et earum volatus indicat, et gustus, seu esus quia delictiorem substantiam præbent in alimentum. Convenienter ergo pisces ex crassiori aqua, aves ex subtiliori creata sunt. Subtilior autem aqua est vaporabilis, et ita ex aere ingrossato vaporibus, seu ex aqua vaporabili factæ sunt, ut proportionate unumquodque vivens fiat ex elemento in quo movetur, et aer dicatur exornari illis viventibus quæ ex ipso, seu ex aquis in eum evaporatis exorta sunt.

Ad illum textum capituli II: *Formatis de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam,* quod pro se adducit prima sententia, respondetur dupliciter. Primo, quod ly et, non est necesse quod copulet cum

omnibus particulis præcedentibus, sed sufficit copulare cum ly formatis, non cum ly de humo; et rursum intelligitur totum illud in distributione accommodata quod formata sunt de humo cuncta animantia terræ, nec enim otiose positum est illud animantibus terræ, quia videlicet ista formata sunt de humo: volatilia autem in hoc ipso quod dicuntur esse cœli, manent excepta ab illa formatione ex humo. Secundo, dici potest solutione supra insinuata, quod etiam volatilia sunt ex humo remote, et concomitanter, non principaliter, aut proxime.

VIII. Circa statum, perfectionem, quantitatem, et qualitatem in qua productæ sunt aves, et pisces, breviter dicendum est idem, quod de plantis, et arboribus, et postea de animantibus, quod producta sunt ista in statu perfecto ad operandum, et generandum; et quoad quantitatem omnes species naturales avium, et piscium in ea individuorum multitudinem quæ sufficiebat ad propagationem talium specierum, et ad escam aliquorum, in qualitate autem etiam species imperfectas avium, et piscium, et animalium esse productas, non tamen monstruosas, non ex degeneratione, sterilitate, aut commixtione sexuum diversæ speciei ortas.

IX. Primum explicatur sic, quia licet in corporibus simplicibus, puta cœlis, et elementis formandis, et distinguendis Deus processerit ab imperfecto ad perfectum, tamen in ultimo opere, quod est ornatus non sic, sed ea quæ pertinent ad ornatum produxit Deus in statu perfecto, præsertim animalia, et hominem. Tum quia opus ornatus fuit opus consummans, et ultima manu formans corporum præcedentium informitatem, ergo debuerunt ista ornamenta in statu perfecto produci, alias non essent consummativa, et perfectiva

cæterorum operum. Unde si in ipsis procederetur de imperfecto ad perfectum, rursus indigerent consummari, et perfici, et sic nondum essent ultimum ornamentum. Tum etiam quia si homo, et animalia, et aves producerentur in statu imperfecto, verbi gratia infanti, et parvuli fœtus, indigerent parentibus, quibus alerentur, et fovrentur, alias perirent, vel deberent a Deo miraculose conservari, et præternaturaliter enutrir. Si autem a parentibus nutrentur, illi parentes essent producti in ætate perfecta et in statu generandi, et de illis esset eadem difficultas, quomodo in statu perfecto essent producti, aut si in statu imperfecto, quis eos enutrivit. Necesse ergo fuit prima viventia in statu perfecto produci, sicut prima inanimata, et elementa, in statu imperfecto. Tum denique, quia immediate post creationem rerum incœpit status propagationis, et multiplicationis in quo administratur, et gubernatur hic mundus, debuerunt etiam animalia operari, præsertim homo ut excoleret terram. Ergo oportebat creari in statu perfecto apto ad generandum, et propagandum, et laborandum. Unde et in ipsa productione talium viventium benedicuntur a Deo, et ad propagationem inducuntur: *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, etc.*

X. Secundum explicatur sic, quia Scriptura dicit, quod: *Creavit Deus cete grandia, et omnem animam viventem, atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum.* Et infra de animantibus: *Et fecit Deus bestias terræ secundum species suas, et jumenta, et omne reptile in genere suo.* Ergo quantum ad quantitatem specificam omnes naturales species factæ sunt, propter eandem rationem quam adduximus de plantis, quia si species istæ non produ-

cerentur a Deo, non daretur semen, et virtus per quam producerentur postea, quia suppono non esse species ex putrefactione factas, quæ magis ad propagationem pertinent, sed ex semine, has omnes oportuit creari a Deo, quia non ex aliis, sed ex proprio semine fiunt, ergo non potuerunt relinqui pro opere propagationis, sed in hac prima institutione fieri cum semine, et virtute sua. De quantitate autem individuali, illud solum possumus affirmare, quod cum multitudo individualis per se fiat per multiplicationem, et propagationem, tunc in principio, in numero quam paucissimo facta sunt individua cujuslibet speciei, sicut homines solum facti sunt duo masculus, et femina; in arcam pro conservatione specierum solum de animantibus mundis septena et septena introducta sunt, de immundis vero duo et duo, masculus, et femina, de volatilibus cœli septena et septena, Genes. VII. Ergo similiter in prima creatione in quam paucissimo numero individua cujuslibet speciei facta sunt. Fuerunt ergo facta ad minus duo, masculus, et femina in eis, quæ per coitum propagantur. Et rursum pro carnivoris, et quæ sustentantur ex aliorum animalium carnibus aliqua facta sunt in majori numero, ut possent etiam in escam haberi usque ad propagationem competentem illorum; nisi forte pro illo tempore animalia carnivora ex herbis, et plantis sustentata sunt, sicut quamdiu fuerunt in arca, non comedebant alia animalia (alias brevi destruerent species illorum) sed de omnibus escis quæ mandipoterant introduxit Noe in arcam: *Et erunt, inquit, tam tibi, quam illis in cibum,* Genes. VI. Tunc autem nondum homines vesebantur carnibus, sed post diluvium, ergo neque animalia tunc de carnibus comederunt in arca.



XI. Tertium denique explicatur, quia solæ illæ species pertinent ad primam institutionem naturæ, quæ ipsa vi, et perfectione naturæ possunt, et natæ sunt, produci, et sunt quasi species originariæ. Tales quantumcumque imperfectæ, aut nocivæ, vel venosæ productæ sunt a Deo in prima institutione. Quæ enim sunt nocivæ uni, sunt proficuae aliis, vel sibi, et quælibet habet perfectionem in gradu, et genere suo. Ergo omnes istæ a Deo productæ sunt, alioquin si solum perfectas produceret, paucissimas faceret, quia etiam inter illas una est imperfectior alia. Quæ ex putrefactione, et corruptione oriuntur, non oportuit quod actu producerentur in hac die, et sexta, sed in potentia tantum quatenus sunt in virtute cœlorum, et in potentia materiæ putrefaciendæ; quæ est sententia D. Thomæ in quæstione LXXII ad v, et q. LXXIII, art. 1 ad III. Unde tales species magis pertinent ad opus propagationis, et reputantur sicut multiplicatio individuorum, eo quod istæ species supponunt jam suam originem, id est, virtutem ex qua fiant, quæ est virtus cœli, et putrefactio materiæ; et ex illis quasi propagantur, et oriuntur. Similiter quæ resultant per degenerationem, sterilitatem, aut aliquam aliam monstruosam productionem non pertinent ad primam institutionem naturæ, quia istæ potius sunt corruptiones naturæ, aut species via corruptionis productæ, et non debuit via corruptionis produci aliquid in prima institutione rerum, sed hoc pertinet ad propagationem corruptivam, et virtualiter continebantur in speciebus perfectis, ex quarum corruptione fieri natæ sunt. Si tamen aliqua animalia quæ alias ex putrefactione, vel corruptione oriri solent, pro illis primis diebus necessaria erant ad escam, et alimentum

aliquarum avium vel animalium, etiam cum aliis facta videntur, vel etiam quam citissime ex actione solis, et dispositione terræ facta sunt, quia ista animalia habent imperfectissimam organizationem, et brevissime fiunt, et multiplicantur. Denique, idem dicendum est de animalibus ortis ex commixtione sexuum diversæ speciei, ut mulus ex equa et asino, leopardus ex pardo et leona, et similibus. Nam etsi videantur animalia in se perfecta, tamen revera reputantur ut partus monstruosi, et non secundum inclinationem naturæ, sed præter, et præsertim quia ordinarie procurantur industria humana cum fiunt inter animalia domestica. Quæ autem ita præternaturaliter, aut monstruose fiunt, non debebant ab auctore naturæ in prima institutione naturæ produci, ubi solum quod naturæ est, fieri oportuit. Reliqua præternaturalia, sufficiebat in virtute istorum contineri, et ab ipsis originari posse per defectum aliquem præternaturalem. Et sic magis erant species propagabiles, quam originariæ, et per se, ac naturaliter spectant ad compositionem universi. Et sic ad opus propagationis pertinebant.

XII. An vero omnes species animalium quæ possunt fieri virtute solis, et dispositione terræ, relictæ sint a Deo, vel etiam aliquæ ex his in initio productæ immediate ab ipso, v. g. mures, glires, lacertæ, muscæ, et serpentes aliqui, cum tamen dicatur in Scriptura, Deum fecisse omne reptile secundum genus suum, respondetur vix posse in his aliquam certam regulam statui. Sed tamen D. Thomas quæstione LXXII sequenti ad v, dicit quod ea quæ nata sunt ex corruptione rei inanimatæ, vel ex corruptione plantarum produci, potuerunt tunc fieri, si quidem supposito quod animalia fiebant non per creationem ex nihi-

lo, sed per eductionem e materia, aliquid corrumpi necesse erat ut generarentur, puta aliquid terræ, vel aquæ, vel terræ madefactæ, unde talis corruptio non erat indecens, sed debita pro illa prima rerum institutione. Et sic etiam animalia illa, quæ alias ex sole, et dispositione terræ, vel rei inanimatæ generari possunt, non fuit inconveniens tunc a Deo formari. Et eadem ratio est de illis quæ connaturaliter et per se generantur ex semine, licet aliquando etiam, et minus connaturaliter a cœlo procedere possint, hæc enim videntur a Deo producta, quia auctor naturæ attendit id quod est per se, et connaturalius. Animalia vero quæ nata sunt ex putrefactione, et corruptione aliorum animalium oriri dicit D. Thomas, quod non sunt facta a Deo nisi in potentia, quia produxit animalia quæ poterant corrumpi, et ex eis ista generari, et idem est de iis quæ ex fimo animalium, vel eorum sudore, aut humoribus nata sunt oriri, hæc enim omnia nascuntur de corruptione aliqua animalium, ut pulices, et similia.

## QUÆSTIO LXXII.

DE OPERE SEXTE DIEI.

## TEXTUS

*Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Et factum est ita. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, etc.*

*Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, etc. Et creavit Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam, ad ima-*

*ginem Dei creavit illum masculum, et feminam fecit eos.*

NOTANDUM CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

Sextæ, et ultimæ operationis dies, in adornanda terra consumptus, omnia animantia produxit in terra, et postea fecit Deus hominem ad præsidendum universæ terræ. Et D. Thomas ea quæ pertinent ad productionem hominis remittit ad quæstionem xc et sequentes inferius post tractatum exactum de ipsa anima secundum se. In hac autem quæstione LXXII, solum tractat ea quæ pertinent ad productionem animalium.

I. Nos circa animalium productionem nihil addendum putamus ad ea quæ de formatione piscium et avium dicta sunt, quia eadem proportionalitate possunt inquiri de animantibus terræ, et eodem modo debent resolvi. Solum pro intelligendo modo loquendi Scripturæ, duo inquiruntur. Primum circa diversitatem qua loquitur Scriptura de his generibus viventium : nam de avibus, et piscibus dicit : *Producat aquæ reptile animæ viventis, et volatile.* De animantibus terræ dicit : *Producat terra animam viventem in genere suo, etc.* De homine vero dicit : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Et statim : *Et creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam.* Secundo, inquiritur quomodo diviserit Scriptura species animalium terræ, scilicet jumenta, et reptilia, et bestias terræ ; de piscibus vero, et avibus nullas species determinatas posuit, sed solum quod creavit Deus animam motabilem et viventem quam produxerant aquæ in species suas, et volatile secundum genus suum. Qui vero sint istæ species, et genera non describitur.